

**A**CTIÓNES nostras, quæsumus Dómine, aspírando præveni, et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**A**UFER a nobis, Dómine, cunctas iniquitátes nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereámur mentibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**D**ÓMINUS sit in corde meo, et in lábiis meis ad pronuntiándum sanctum Evangélium pacis.

**Q**UID retríbui Dómino pro ómnibus, quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

**S**ÚSCIPE sancta Trínitas hanc oblatiónem, quam tibi offéro in memóriam Passiónis Dómini nostri Iesu Christi: et præsta, ut in conspéctu tuo tibi placens ascéndat; et meam, et ómnium fidélium salutem operétur ætérnam.

**I**N spíritu humiliátis, et ánimo contríto suscipiámur Dómine a te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiátur hódie, et pláceat tibi Dómine Deus.

**O**RÁTE fratres, ut meum, ac vestrum páriter in conspéctu Dómini sit accéptum sacrificium.

**Q**UI pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas, ac venerábiles manus suas; et elevátis óculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens, bene **✠**dixit, fregit, deditque discíplis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

**HOC EST ENIM CORPUS MEUM.**

**S**ÍMILI modo, postquam cœnátum est, accípiens et hunc præclarum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas; item tibi grátias agens, bene **✠**dixit, deditque discíplis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

**HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI  
NOVI ET ÆTÉRNAI TESTAMÉNTI:  
MYSTÉRIUM FÍDEI:  
QUI PRO VOBIS  
ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR  
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.**

Hæc quotiescúmque feceritis, in mei memóriam faciétis.

**S**ÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ maiestátis tuæ: ut quotquot ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Cor**✠**pus, et Sán**✠**guinem sumpsérimus, omni bene **✠**dictione cœlesti, et grátia repleámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

**H**ÆC sacrosáncta commíxtio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Iesu Christi fiat mihi et ómnibus suméntibus, salus mentis et cörperis: et ad vitam ætérnam promeréndam atque capesséndam præparatio salutáris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

**D**ÓMINE Iesu Christe, Fíli Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: libera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum ab ómnibus iniquitátibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærere mandátis, et a te nunquam seperári permítas: qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. Amen.

**C**ORPUS, et Sanguis Dómini nostri Iesu Christi custódiant me in vitam ætérnam. Amen.

**P**LÁCEAT tibi sancta Trínitas obséqium servitútis meæ, et præsta, ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus obtuli, tibi sit acceptábilis, mihiq; et ómnibus pro quibus illud obtuli, sit te miseránte propitiábilis. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.



**L**AVÁBO inter innocéntes manus meas: et circumdábo altáre tuum, Dómine:

Ut aúdiam vocem laudis, et enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

**Q**UOD ore sumpſimus, Dómine, pura mente capiámus: ut de Córpoſe et Sánguine Dómini noſtri Ieſu Chriſti fiat nobis remédium ſempitérnum. Amen.



**Q**UÉRÉMUS. Deus, qui nobis ſub Sacraménto mirábili, PaſſiÓNis tuæ memóriam reliquíſti: tríbue, quæſumus, ita nos Córpoſis et Sánguiniſ tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiÓNis tuæ fructum in nobis iúgiter ſentiámus. Qui vivis et regnas per ómnia ſæcula ſæculórum. Amen.

**Q**UÉRÉMUS. Spíritum nobis Dómine tuæ caritátis infúnde: ut quos Sacraméntis Paſchálibus ſatiáſti; tua fácias pietáte concórdes. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.



## INÍTIUM SANCTI EVANGÉLII SECÚNDUM IOÁNNEM

**I**N principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil: Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: Et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in testimónium ut testimónium perhiberet de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhiberet de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine eius: Qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátia et veritátis.

**R.** Deo grátias.